

VERBA

QVARTI PRAECEPTI:

VT DIV VIVAS IN TERRA

VINDICATVRVS,

AD

SOLEMNIA

GYMNASII ELBINGENSIS

AESTIVA,

D. XIV. SEPT. A. MDCCLII.

MORE, LOCO, HORISQUE CONVENTIS

CELEBRANDA,

PERMAGNIFICOS ET AMPLISSIMOS

VRBIS
PROCERES,

CAETEROSQUE

MVSARVM FAVTORES,

QVANTO FAS EST OBSERVANTIAE CVLTV

ORAT, OBSECRAT,

INVITAT

IOANNES LANGIVS,

RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE, EX OFFICINA PREVSSIANA.



Nulla unquam mortales inter tam supina erit progenies, nulla scrutinium veritatis tam fastidiens hominum societas, quæ non in rerum humanarum juxta ac divinarum cognitione sibi acquirenda omnem moveat lapidem. Quo magis vero illorum, qui in aucupanda rerum notitia versantur, suspiciendum, summisque laudibus efferendum est studium: eo magis & intellectus ignorantia & voluntatis malitia capti veritatis hostes, quorum livorem scientiarum lux, ab omni caligine repurgata, in dies animadvertisit, atro notandi sunt carbonis. Ejusmodi enim homines non ea modo, quæ in rebus, ad universi hujus naturam, actionumque humanarum moralitatem pertinentibus, dictamine rationis faces praeferente cognoscunt, arrodere & evertere allaborant: sed haec quoque profanarum mentium est audacia, ut in sanctuarium DEI procaciter introeuntes, veritates revelatione patefactas, si non negare, saliva tamen sua dehonestare, illasque vana interpretatione imminuere haud erubescant.

Ad hoc vero pseudoexegetarum genus illos etiam referendos esse credimus, qui, quo facilius Sacrae Scripturae veritatem in dubium vocare possint, in ea & sanæ rationi & quotidianaæ experientiae e diametro opposita contineri, impie clamitant. Id quod ut invenisse videantur, alia inter verba quarti præcepti ^{a)} dente plus quam theonino rodunt, affirmantes, ea quidem omnibus, pietatem filialem observantibus, longam in terris vitam promittere, sed non largiri. Siquidem experientia testē liberorum bonae indolis plurimi,

filo

^{a)} Exod. XX, 12.

filo dierum in medio annorum abrupto, spe & opinione citius vitam cum morte commutare & in optimo juventutis flore, antequam ex ephebis excesserunt, terram viventium relinquere cogantur, adeo ut illud, a Graecis quondam usurpatum, apud nos quoque in proverbii consuetudinem venerit: ἐν οἱ θεοὶ Φιλάσσω, ἀποθύησκει νέος. Quod homines nostri ita proferunt: Fromme Kinder leben nicht lang.

Nobis itaque demonstraturis, verba quarti praecepti, omni exceptione majora, veritatis adhuc talo niti, & liberos, DEI ac Parentum dicto obedientes, certissimum obsequii praetium, in longaevitatem & terrae hujus possessione obvium deportare, hoc prius, hocque posterius esse videtur, ut quae l. c. terra subintelligenda sit, praecipue exponamus. Ea vero non ultima cum in S. S. tum aliis Judaeorum scriptoribus terrae invenitur significatio, qua, voce non alia adjecta, Palaestinam, Judaeorum Patribus promissam, proprie denotat. Quodsi enim non apud Hoseam modo, b) nullam in terra, ad quam seu potius ad cuius incolas Vates missus erat, fidem, nullam pietatem, nullamque DEI cognitionem fuisse sed in libro quoque Ruthae, c) famem in terra existisse legimus: non alia sane occurrit interpretatio, quam ut sola his locis subintelligenda sit terra Israelis. Quippe Elimelechus, cum, ne inopis periret, in vicinum Moabitarum agrum, ab ubertate & rerum copia laudatum, proficiseretur, nos docet, non in omni, qua patet, terra ortam fuisse famem. Terraen enim Israelitarum, monente Schmidio, d) haec maledictio metuenda erat, ut si ejus possessores mandata DEI fusque deque haberent, naturalem, qua pollebat, fertilitatem negatura esset: e) singularis contra ad augendam eam, sub conditione obsequii habitatorum, illi speranda benedictio. f) Imo dum Jacobus scribit, coelo temporibus Eliae clauso, neque

b) c. IV, 2. coll. I, 2. add. Geieri Comm. in Ps. LXXXII, 4.

c) c. I, 1.

d) In Comm. in libr. Ruth. ad h. 1.

e) Deut. XXVIII, 15, 16. 23.

f) Lyc. XXVI, 3-5.

rorem, neque pluviam per annos tres & sex menses in terra fuisse, g)
quis quaeso affirmaret, omnes omnino mundi plagas atque partes
hunc siccitatis aestum & imbris cessationem sensisse. Quivis enim
facile animadvertisit, ad scopum, quem in puniendo populo Judai-
co DEUS sibi proposuit, non fecisse cessationem pluviae in reli-
quis extra Canaan mundi partibus, e. g. in regionibus ad Europam,
Africam vel Americam pertinentibus, sed in terra saltem Israelitica.
Quemadmodum enim aliud quondam fuit diluvium universale, &
particulare aliud: ita a cessatione quoque pluviae particulari, quae
tempore Ruthae terrae saltem contigisse videtur Israeliticae, ad uni-
versalis necessitatem non valet consequentia. Nec Evangelistam h)
per omnem terram aliam quam universam Israelis regionem intel-
lexisse, ex dictis patet.

Cum itaque vocabulum terrae absolute positum, nec per con-
textum ad certam regionem vel totum orbem restrictum, in sacris
paginis Isacidarum semper significet terram, a Cananaeorum genti-
bus ad Jacobitas translatam: Theologus ille inter Gallos, qui Bero-
linum se quondam contulerunt, clarissimus l'Abbadie rem acu te-
tigisse videtur, i) dum contendit, in quarto praecepto terram Israe-
liticam Judaeis, pietatem in Parentes filiale obseruantibus, in tes-
seram amoris divini praemiumque obedientiae suae a DEO promis-
sam esse. Et si quis objiceret, hanc terrae promissionem non ob-
sequio demum, quarto praecepto exhibendo niti, sed jam Abraha-
mo, Israelis avo, ejusque posteris a DEO esse factam, ille sciat, mo-
nitum hoc non regionis modo promissionem ac concessionem,
sed diuturniorem quoque ac perpetuam ejusdem possessionem re-
spicere. Quam diu enim praeceptis DEI, legibus Majorum, Paren-
tumque adhortationibus obedientes futuri essent Judaei: tam diu
& ipsimet & ipsorum posteri terrae Israelis permansuri essent domi-

ni

g) c. V, 17. coll. I. Reg. XVII, 7.

h) Luc. IV, 25.

i) Dans l'art de se connoître soi même. Conf. Das 19. u. 33. St. der Hamburgischen
allgemeinen gelehrten Nachrichten aus dem Reich der Wissenschaften, de A.
1752. in quibus epistola auctoris cuiusdam hac de materia scripta recensetur ex
Bibl. Rais. Tom. 48. P. I. E II.

61.

ni ac heredes; si minus inobedientiam eorum, ad instar priorum incolarum, amissio patriae avitae & plenaria ex illa sequutura esset expulsio. Id quod etiam partim in Assyrica & Babylonica captivitatibus, partim Hierosolyma a Romanis solo aequata factum esse, relatum legimus.

Quapropter b. Luthero, optimo Ecclesiae nostrae restauratori, non vitio vertendum est, quod, cum Decalogum non cum Judaeis, sed Evangelicorum coetui addictis in institutionibus suis catechetis communicare vellet, promissionem quarti praecepti his expresserit: ut diu vivas in terra, non adiectis, quae in Exodo k) leguntur, verbis: quam tibi Dominus DEVS tuus dat. Nedum enim, quod vir ille incomparabilis divi gentium Apostoli, idem praecipitum pari ratione proferentis, l) vestigia sequatur: ex scholis etiam theologicis quam apprime edoctus erat, magnum tam moralia inter & ceremonialia, quam essentialia inter & accidentalia in Decalogo intercedere discrimen. m) Ad quae tanquam involucra mosaica inter alia haec quoque de terra promissa spectant verba. Sic enim Schilte-
rus: n) „Non ad genus, inquit, Decalogi & communem Judaeo-
rum ac Christianorum usum pertinent, sed proprie & inspecie
„Judaeos concernunt haec quatuor: 1) eductio ex Aegypto, bene-
„ficium proprium Ecclesiae Judaicae. 2) Prohibitio τῆς εἰκόνο-
„γεαφίας, spectans tantum ad templum & tabernaculum populi Ju-
„daici. 3) Sanctificatio diei septimi. 4) Promissio vitae proro-
„gandae in terra sancta, Patribus promissa.”

Interim non est, cur mentionem terrae in repetitione quarti praecepti a Luthero factam supervacaneam esse statuamus. Cum enim lex moralis, Christianos quoque obligans, o) obedientibus felicitatem temporalem verbis directis promittat, ejusque primum ac praecipuum, cui caetera superstruuntur, sit longaevitatis: p) haec

k) c. XX, 2.

l) Ephef. VI, 3.

m) Vid. Danhaueri Coll. Decalog. p. 43. & Gerhardi LL. Theol. P. III. L. de Legi, §. 51.

n) In explicat. catech. p. 105.

o) Vid. Buddei Theol. Dogm. L. III. c. II. §. V. p. 585. 586.

p) Lev. XVIII, 5. XXV, 18. Deut. VI, 17. 18. Ezech. XX, 11.

omnino longam insimul & diu in terra ducendam proponit vitae usuram. Est vero Christianis terra, cuius in quarto praecepto mentio fit, ubi vis locorum. Totam enim terram Domini, q) eamque fidelibus a DEO benedictam; imo ibi patriam esse, ubi bene, norunt omnes.

Etsi vero obsequentes Parentibus liberi, qui ante maturam aetatem e vita abripiuntur, hac aura in vivis non diu fruuntur: in suae tamen promissionis complementum constanter Dominus perseverat. Quodsi enim accuratori animi lance perpendimus, longam vitam piis probisque liberis eatenus saltem promitti, quatenus DEI benedictio est, ex pietate nobis conciliata; benedictionem vero illis exhiberi, quatenus divinae gratiae ac benevolentiae documentum dicitur, quam DEVS post mortem infinito uberius & solidius servis suis testificatur: facile est conjecturatu, eam non ad hanc modo, sed ad novam quoque, in suavissima patriae coelestis, vitaeque aeternae mansione, fidelibus paratam r) & imagine Palaestinae praefiguratam s) pertinere terram.

Sed longaevitatis quoque in hac vita rationem habeamus. Ea sane liberorum bonae indolis vivendi ratio est, ut in brevissimo diorum curriculo plures saepe praestantioresque virtutes exerceant, quam alii per longam annorum seriem vix ac ne vix quidem attingunt. In juvenili enim aetate pueri adhuc, prudentia & sapientia stipati, ea saepius ineunt consilia, eaque facta exequuntur, quae senioribus ruborem, ipsis vero laudem, nomenque conciliant. Videntur enim ejusmodi juvenes, pietatis studio dediti, actiones, quae gravibus saltem & aetate proiectis demandari solent viris, in semet suscipere & munere suo rite fungentes, illis palmam saepius eripere, ut declarent, non in barba, sed in corde aetatem senilem quaerendam esse. Non itaque ex annorum serie dierumque multitudine, sed rerum bene ac sapienter gestarum copia hominis vita & longaevitatis aestimanda est. Quippe illius, qui multos annos male agebat

con-

q) Ps. XXIV, 1.

r) 2. Petr. III, 13. Apoc. XXI, 1.

s) Deut. XI, 8. &c.

62.

consumsit, vita, nulla est: qui vero paucos licet dies praeclare factis superavit, diu vixisse & multos annos rebus humanis interfuisse, senumque scripta legisse creditur.

Imo quis adeo actionum nostrarum hospes est, ut nesciat, famam nomenque pietatis filialis amatores, quamvis in primordio vitae vix inchoatae mortem oppetere cogantur, in omnem posteritatem prosequi. Impiorum enim nomen, ut Salomo loquitur, τ) foetet & fumi instar transit; imo ipsi paleae similes vento agitantur: υ) piorum vero memoria fausta est, semperque duratura, seu ut Castellio Ecclesiastici verba w) interpretatur: si vita defungantur, millies celebrius nomen relinquunt, quam alii. Siquidem illorum vivit pietas, obedientia ac reverentia, etiamsi in terris non amplius vivi inveniuntur, in consortio DEI, a quo coelestis patriae participes sunt facti; in Parentum & amicorum ore ac corde; imo relicto optimo virtutum exemplari, x) ad quod reliqui suas componere possunt actiones, vivet in piorum omnium memoria. Diu itaque, qui Patrem Matremque honorant, vivunt in terris, illorumque etiam manet post funera virtus.

O si omnes immorigeri ac inobsequentes, quibus leges tam divinae quam humanae scriptae sunt, sedulo pensitarent, quanta felicitate contemtu quarti praecepti se indignos reddant! O si aculeo isto Apostolico, quem Paulus excitando torpori nostro admovet, dicens: mandatum hoc est primum cum promissione, y) torpentes illorum animi excitarentur, ut rebus suis melius consulere & in communione benedictionis sempiternae, quam pietas filialis promittit, transire allaborarent!

Id quod licet cuivis mortalium conveniat, maxime tamen illis, qui ab artium liberalium studiis nomen ducentes, talem sibi acquisitive

τ) Prov. X, 7.

υ) Ps. I, 4.

w) c. XXXIX, 15.

x) Quorum nonnulla collegit b. Rambachius in dem erbaulichen Handbuch für Kinder, p. 148. &c. ex Jac. Jamneway Exempel-Buch, & Fried. Eberh. Collins wundervollen Schauplatz der heil. Märtyrer, insonderheit der um des Nahmens Christi willen grausamlich getöteten Kinder.

y) Eph. VI, 1. 2. Col. III, 20. add. Franc. Wokenii Moses harmonicus. P. I. p. III.

vere cognitionis copiam, ut scientia sua & polito vitae tenore aliorum oculos animosque in se rapere videantur. Hinc qui mos, quae consuetudo in civitate bene constituta magis laudanda est, quam si & omittenda & facienda in memoriam illorum, qui non sui juris, suique arbitrii sunt, sed a Superiorum dependent voluntate, publica legum repetitione quotannis revocantur. Cum itaque hoc unicum in votis ac desideriis habeamus, ut omnibus Seminarii Elbingensis civibus, quibus leges scholasticae a Majoribus traditae sunt, semper bene sit & ut gratiae divinae participes in terra diu vivant: ILLVSTREM, PERMAGNIFICOS, MAGNIFICOS, GENEROSOS, AMPLISSIMOS, CONSULTISSIMOSque CIVITATIS PROCERES, REIque SCHOLASTICAE GVERNATORS AC CONSERVATORES: item EXPERIENTISSIMOS, REVERENDOS, CLARISSIMOS, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILESque MVSARVM NOSTRATIVM FAVTORES submisse & officiose rogamus, ut craftina luce, solemnitati huic anniversariae dicata, honorificentissima SVA praesentia maximum Palladis Drusicae auditorium implere, legum observantiae auctoritate SVA acres admovere stimulos & votis publicis SVA jungere suspiria haud dedigentur.

Quo vero nec VOS, MAECENATES GENEROSI AC PATRONI COLENDI, VESTRAE in Lyceum Drusicum propensionis, nec nos voti & expectationis nostrae poeniteat, omnem omnino dabit operam VIR PRAECLARISSIMVS, DOCTISSIMVSque DN. IO. DAN. HOFFMANN, ATH. CONR. P. P. & COLLEGA noster multis nominibus HONORATISSIMVS. Peracta enim post solemnem LL. repetitionem translocatorum lustratione, nonnullos ex coetu scholastico, quos syllabus indicit, *de adventu Equitum Domus Teutonicae in Prussiam* loquentes introducit, in evidentissimum veritatis testimonium, Mariani Ordinis Sodalibus, Prussiae olim Dominis, tam diu bene fuisse, eosque in terra Prussica tam diu vixisse, quam diu & DEO & Patriae legibus suum tribuerunt honorem, suamque reverentiam. P. P. Elbingae, d. XIII. Sept. A. MDCCCLI.

